

quo rursum ita conclusit; ergo liberum est nobis omnia alia Concilia relinquere, & sic liberi sumus ab omnibus Conciliis. Praclare omnino: quasi verò quia non tenemur ea Concilij lege, quæ solùm ad tempus data fuerat, iam nullis aliis Conciliorum legibus teneamur.

Pergit deinde ad NICAENVM I. Concilium, cuius in Ecclesia Catholica semper summa auctoritas fuit, ac de canonibus eius Concilij loquens: Hi omnes, inquit, articuli, fœnum, stramen, ligna, stipulæ fuerunt. Et infra: De illis ligneis articulis reliquiæ manserunt, quasi aliqui titiones, nempe articulus de festo Paschatis. Hic nimirum est honor, quem habet Lutherus antiquissimo & celeberrimo Concilio, ut eius decreta ligna, fœnum, stipulas, titiones appellet. Sed parum esset, si tantum non necessarios, ac superuacaneos eos canones diceret, & non etiam periculosos, impossibiles, inter se contrarios ac pugnantes esse contenderet. Quia enim vetat Concilium, ne qui se abscederunt sacris Ordinibus initientur, & simul imperat hominibus sacratís, ne ullam omnino domi sua fœminam habeant, præter matrem aut sororem: Hic prorsus, inquit Lutherus, non intelligo sanctum Spiritum in hoc Concilio, si illi pro idoneis non sunt reputandi in ministerio Ecclesiastico, qui se ipsos castrant ad vitanda libidinũ incendia; & rursus illi etiam non sunt idonei, qui ad euincendos carnis stimulos habent, aut ducunt vxores; quò res tandem cadet? An debet Episcopus, aut Concionator illum intolerabilem ardorem, & æstus amoris illiciti sustinere, & neque coniugio, neque castratione se ab his periculis liberare? Quasi verò, Luthere, nihil sit medium, inter coniugium & castrationem: quo pacto igitur, Paulus, Ioannes, Iacobus, Apostoli ceteri, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, & quid enumero singulos homines? quo pacto, inquam, tot millia Sanctorum, neque se ipsi abscederunt, & tamen usque ad vicam fœnem vxoribus caruerunt? nimirum precibus, ieiuniis, labore assiduo, non membrorum abscissione gloriosa certamina superantur.

Sed audiamus, quàm honorificè de hoc eodem Nicæno Concilio subsistentem huius loci loquatur LUTHERVS: An verò, inquit, nihil aliud est negotij Spiritui sancto in Conciliis, quàm ut impossibilibus, periculosis, non necessariis legibus suos ministros obstringat, & oneret? Quæ cum ita sint, vides certe, Lector, quanti faciat Lutherus Conciliorum auctoritatem, cum decreta Nicæni Concilij, quo nullum est magis à Patribus omnibus laudatum, lignea, non necessaria, periculosa, impossibilia, inter se pugnantia, ac demum stramen, fœnum, stipulas, titiones ore impudentissimo appellare non vereatur, quid, quod omnia Concilia ita extenuat, ut cum eis Parochorum industriam, & Ludimagistrorum auctoritatem comparat: Putasne, inquit, ad eò esse tenue, aut angustum officium Parochi,